

IV. Cum id pauperibus et mōrentibus elargimur, juxta id Proverb. XXXI. Date siceram mōrentibus et vinum his, qui amaro sunt cordē, bibant et obliviscantur egestatis suæ (Chal. detritarum vestitum) et doloris sui. Ad hoc enim Deus post diluvium docuit Noen invenire vinum, ut ejus et filiorum, ob inductum mundi diluvium et rerum omnium exterminium, conceptum mōrem hilaritate vini temperaret, ut vult S. Chrysost. hom. XXIX. in Genes. Pari ergo ratione justum est ut dīvites pauperum et ægrorum mōrem et languorum vini hilaritate atque efficacia abstergant. Ita Christus vino pauperem sponsum lātificavit, et a confusione liberavit. Quod si calix aquæ frigidæ datus pauperi mercedem habet, Matthei X. quanto magis vini? Unde Augustinus, serm. XXIII. ait: *Quod in ebrietate peritum erat, in pauperum refectionem proficiat.* Quam multos ægros et captivos lātificare potes vino tuo? Quando sitiendi terræ nubes imbre infundunt, tota terra lātificatur. Pari modo pauperes recreare potest, ut misericordiarum suarum obliviscantur qui vino eos solari voluerit. Et hoc meo iudicio insinuavit etiam Deus, Num. XXVIII. cum in fine sacrificii jussit pedem altaris vino profundi. Altare enim Christum, pedes ejus pauperes significant. Hi ergo si vino, quod in fine mensæ superest, sitiundi perfunderentur, Deus utique lātificaretur; id quod sēpe ostendit, miraculose refundendo vinum pauperibus erogatum. Sancta Francisca Pontiana, cum ejus sacer vas præstantioris vini sibi in cellam reponi jussisset, illa id paulatim pauperibus distribuit. Inventum ab illo vacuum, et nurus objurgata quemadmodum et a marito Laurentio. Sed ipsa ad cellam reversa et genu flexa orat Dominum ut non jam aquam, ut ol' in Cana, sed aerem dolii velit in vinum mutare, ne in posterum prohibeat ab eleemosynis. Moxque impetravit ut vas illud nobiliore longe vino repleretur. Ita Ursinus in ejus vita.

S. Homobonus: « Cum prædiolum cæteris divenditis et in egenos erogatis, sibi, pauperibusque servasset, eoque fossoribus vinum aliquando ferret, occurrere ei mendici aliquot ab eo petentes: quibus vir sanctus summa cum animi hilaritate et frontis lātitia porrexit. Sed cum exhausti fere essent canthari, nec propter uxoris acerbitatem auderet domum reverti, eos aqua replevit ac benedixit. Vinitores autem se nihil unquam suavius gustasse asserentes, quærebant, unde tam bonum vinum habuisset? Vir Dei, qui optime sciret, quid fecisset, arbitratus se derideri, bibit et ipse incomparabilis bonitatis vinum; gratiasque Deo, cuius esset illud opus, maximas egit: nec tamen, vitandæ ina-

nis gloriæ causa, imprudentium hominum omnem recte factorum mercedem furtim prædatur, quod factum fuerat, cuiquam dicebat, nec exire, atque in vulgus emanare patiebatur. Sed qui eum viderant, dum aquam in vasa infunderet, cum et ipsi vinum gustassent, hoc miraculum cæteris prædicaverunt. » Ita in ejus vita, apud Sur. 19. novem.

V. Quando debili stomacho præditi ad conservandam veletudinem et vires roborandas modicum potamus, id quod suasit S. Paulus Timotheo: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes infirmitates tuas.* I. Tim. V. Quia nimirum, ut ait S. Ambros. *Vult Deus prudenter sibi serviri, ne nimietate (laboris vel abstinentiæ) debiles efficiamur, et postea medicorum suffragia requiramus.* Cæterum ad necessitatem, non ad voluptatem id concedit Paulus, unde ait: *Utere, non fruere, eoque modico.* Pulchre S. Greg. XX. moral. c. XXI. « Pensandum est, inquit, quod chorda in cithara si minus tenditur, non sonat: si amplius, raucum sonat. Sic virtus abstinentia aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non edomet, quantum valet: aut valde inordinata est, si corpus atterit, plusquam valet. » Sed quid ad hæc Lutherus? Pulchre ex illa Pauli concessione argumentatur: Apostolus modicium vini, puta cyathos aliquot præscripsit Timotheo velut infirmo, qui plus vini non ferebat: nobis vero utpote sanis et stomacho valentibus multo utendum est; puta non cyathis, sed amphoris. At bone vir, Timotheus cum sanus esset, aquam biberit, utique apostolo probante ac nisi infirmus factus esset, vinum ei suasum non esset. Sed talem prophetam talis glossa decebat. Nisi ergo corpori aliquid subtrahamus, nullum gratum Deo sonum edet: si plus æquo subtraheremus, corpus rumperemus: mediocriter ergo tensa chorda Deum lātificabimus. Porro immodecum ægros extinguit, quod inter alios plurimos contigit Henricus Lusitano, cui febricanti Romæ suadet Christoph. Fischerus, ut ne medicum audiret, sed bonum potius vinum biberet, simulque jussit adferre pinum Creticum quadrum, propinavitque ægro, jubens esse bono animo. Verum ut ille persuasus hausit, mox intercluso spiritu cœpit animam agere, Eras. in adag.

VI. Denique, cum ad exhilarandum etiam animum moderate potatur. Ad hunc enim finem etiam a Deo est creatum, ut de Noe dixi, eoque spectat id Eccles. c. XXXI. *Exultatio animæ, et cordis, vinum moderate sumptum.* Optime Athenaeus, l. I. c. XXI. sic aliquando Socratem dixisse refert: « Videntur mihi virorum corpora pati,

quod plantæ, quæ in terra natæ fuerint. Illæ siquidem ubi cæli nimiis imbris irrigatæ sunt, nullo se pacto possunt erigere, neque auris perflantur. Verum ubi quantum sufficit, biberunt, et recte feliciter surgunt. Sic nos etiam sumus affecti. Nam si potum frequentiorem hauriamus, statim et mens et corpora nostra ab æquitate declinant, ac ne respirare, nedum dicere quidquam possumus. Quod si nobis pueri in minorâ pocula irroraverint, si vino non coacti ebrii fieri, verum leviter commoti, in comitatem lātitiamque convertimur. » Idem insinuat Psal. CV. cum dicitur vinum creatum, ut lātificet cor hominis. In Heb. XI. habetur: *Cor enos, hoc est, cor afficti et moesti.*

Hoc sensu facile mihi persuadeo lātificasse vinum in hodiernis nuptiis non modo homines, sed etiam Christum; quia non dubito bibisse omnes cum moderamine et hilaritate. At vero quando ad ebrietatem usque bibitur, quando grandioribus poculis certatur, quando bibendi finis non est, jam hominem non lātificat, sed inestificat, morbitificat, mortificat. Nam primo, nonne molestia est bibere cum non sitias, imo abhorreas? Deinde, nonne hinc capitis gravedines, ventriculi cruditates, nervorum contradictiones, podagra, morbi, plurimæque oclissimæ mortes? Nonne hinc peccata plurima, pœnitentia, luctu pœnisque expienda? Nonne ebrietas ipsa culpa luctifica et lethifera est? Lātificet igitur nos et Deum, non luctu tristitiaque afficiat. Nemo invitatus, plus æquo bibat, aut propinet alteri, aut necessario propinandum putet, nec ad temulentiam usque compotet.

Denique, vel maxime Deum lātificat, quando una cum moderamine adjungitur Dei laus et gratiarum actio. Hinc Hebræi, in tract. Beracoth, c. VI. hanc tradunt causam, cur vino lātetur Deus, quia ad vini potum debent homines Deum laudare, ita ut ibidem dicat R. Jonathan hæreticus esse, qui non dicunt schirach seu psalmum kaiain, id est, super vino.

Non dubito convivas his nuptiis una cum architriclino laudasse Christum, pro tam bono vino, sibi propinato, idque Christo gaudium cordis fuisse, sicut e contra, cum Dei dona sine Dei commemoratione ac laude quasi pecudes absumimus, dolorem ei creamus. Quisquis ergo vino Deum lātificare cupit, hæc, quæ diximus, observet: *Ut et qui seminat simul gaudeat, et qui metit.* Joan. IV.

QUAM STULTE ELIGANT MUNDI SECTATORES VINUM BONUM IN HAC VITA, ET IN ALTERA DETERIUS.

- I. Quia spretis melioribus, eligunt deteriora. — II. Quia mercedem eligunt ante laborem. — III. Quia pro modica dulcedine eligunt sibi dolores incomparabiles. — IV. Quia pro brevissima delectatione emunt æternos cruciatus. — V. Quia sobrii et intelligentes de summa felicitate ad summam miseriam se præcipitant.

#### THEMA.

*Omnis homo primum bonum vinum ponit; et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est.* Jo. II.

Sapientissimus ille rex Salomon, Prov. XXIII. sapientissimum nobis dat consilium: *Cum sediris, ut comedas cum principe, diligenter attende, que posita sunt ante faciem tuam, et statue cultrum in gutture tuo.* Princeps iste Deus est, qui mensam nobis in hac vita præparavit opiparam, et variis ciborum generibus, additis etiam cupediis et deliciis, quia omnia propter nos et in usum nostrum creavit, interim tamen observat nos, quomodo in hac mensa conversemur, quanto moderamine, qua discretione ea fruamur, num potius voluptatem, an honestatem, cum nostra salute et Dei gloria quæramus. Atque hic est culter statuendus in nostro gutture, discretio videlicet et prudentia, qua attendamus, qua ratione fruamur bonis istis. Si enim inyolemus in prima statim, et quæ videntur optimæ præsentis vitæ fercula et vina, tum ad finem mensæ, et initium alterius vitæ apponetur id, quod deterius est. Sin autem parce et moderate illis utamur, tunc depromet Christus symposiarcha noster vinum illud bonum, quod eo usque servavit. Statuendus ergo culter est, non in quadra, sed in gula, ut ei præscindat et prohibeat prava mundi fercula et carnis oblectamenta. At vero quid contigit? Plerique mortales involant in præsentia hæc et vilissima bona, non expectantes futura. Id quod architriclinus indicat, cum ait: *Omnis homo primum bonum vinum ponit. Sed quid ad finem?* Tunc id quod deterius est. Contrarium nos Christus docet, ipsa Dei sapientia, qui ad finem convivii suum illud vinum omnium nobilissimum deprompsit? Ut nos doceret statuere cultrum in gula, et differre appetitum nostrum usque ad alteram vitam. Insanit ergo mundus ejusque sectatores, dum præsentia eligunt, futura vero in postremis habent: quod hic ostendemus.

- I. Quia eligunt hic meliora deliciarum vina spretis quæ in altero sæculo sequentur, longe

melioribus. Solet enim Christus, ut ex hodierno evangelio colligitur, prius dare vilius vinum, melius reservare, ad finem vite scilicet hujus, seu in alterum sæculum. Mos hic etiam communiter servatur in conviviis, ut initio dum homines fament, viliora, quæ famem saturent, apponantur, uti caro bubula aut vitulina, postea primum delicatoria et rariora, quare sicut is, qui famis impatiens, primis statim ferculis se implet, et exsaturat, postea ubi meliora se qui videt, dolet se jam saturum, vesci his capediis longe melioribus non posse: sic contigit mundi amatoribus, qui nimia sæcularium bonorum cupiditate æstuantes involant in illa, seseque ingurgitant; deteriora enim eligunt, ut futurorum bonorum, centies millies meliorum, incapaces fiant. Si viator æstuans et sitis impatiens antequam ad hospitium veniat, bibat e lacuna; dolet postea se tam vili et insipido potu sitim sedasse, cum jam posset optimo vino. Ita fere accidit guloso illi Esau, qui tam calido appetitus ferebatur erga rufam illam pullem, quam coxerat Jacob, ut pro ea daret jus primogeniture suæ, quo nimirum ingluvem suam mox satiaret. Unde secundum Hebr. textum dixit: *Impel me de rufo isto, ubi nos: Da mihi coctionem hanc rufam.* Verum in malum suum implevit se. Sic enim lentis vilissimo edulio repletus incapacem sese reddidit paternæ benedictionis, majoratus et multorum bonorum, quæ præripuit ei Jacob, Gen. XXV. Non dedit Deus manna Hebræis, quamdiu ex farina Ægypti vivebant: nec oleum Elisei potuit implere vasa illa viduæ, quæ jam rebus aliis vilioribus plena erant. Nullo modo credendum aut existimandum est, voluisse Deum hominibus præbere in hac vita præstantiore mensam, et ibi viliorem; hic enim gratis alit nos, tam malos quam bonos: ibi pascet tantum bene meritos; multo igitur laetus. Unde in oratione Dominica præcise petere jussit panem quotidianum. De alterius vita mensa longe aliter loquitur per Isaiam, c. XXIV. *Faciet Dominus exercitum omnibus populis (electis) in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiarum, convivium pinguium medullatorum, vindemiarum defæcatæ.* Opulentum quidem et opiparum satis convivium apparavit Deus hominibus, etiam in hoc sæculo: mundum inquam, varia amœnitate, delectatione et rerum copia instructum; sed partim ad ostendendam suam opulentiam et liberalitatem, qua possit ac paratus sit longe plura ac meliora dare bene meritis, qui hæc exhibit immeritis; partim ad exercitum nostrum, ut probet nostram virtutem, fidem, spem, charitatem, temperantiam; quid ea possit adversus mundi oblec-

tamenta: an credamus in Deum hic exercentem servos suos, ibi remunerantem: an ipsius bona velut servi fideles non prodigere et dissipare, sed parce et modeste cum gratiarum actione delibare potius, quam devorare velimus, an ipsius amori hæc omnia postponere et propter illum despicer: an denique hæc terrena cœlestibus ejus bonis præferre. Ergo sicut bene morati hospites, invitati ad mensam magnatis alicujus opiparam, non involant in cibos, nec sese ingurgitant, sed modestæ memores eos potius delibant, aut parce saltem quæ apponuntur comedunt: ita nos sedere in hoc mundi convivio decet. At licet hæc presentia appareant magna et miranda, quia scilicet oculis nostris admota sunt; cogitandum tamen revera exigua et nulla esse respectu futurorum, quæ quia hinc longe absunt, parva esse putantur: sicut globum terræ, quia præ oculis est, magnum æstimamus: solem vero quia longe abest, parvum, cum sit centies sexages major tota terra. De illis enim bonis ait apostolus: *Oculus non vidit, nee auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus diligenteribus se,* I. Cor. II. §. IX. Non æstimavit Esau jus primogeniture, quando illud vendidit: *Quid mihi proderunt primogenita?* inquit. Verum ad extremum, cum pater moriturus benedictionem ei subtraxit, tunc agnoscere coepit suam insipientiam, cum irruerit clamore magno.

II. Quia eligunt prandium et mercedem antequam laborent, quo fit ut post labores careant, famescant et incenatiabeant. Sicegit filius prodigus patri dicens: *Da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit,* qua dissipata esurire coepit; et ne porcorum quidem siliquas habere potuit, perissetque fame prorsus, nisi resipuisset. Idem agunt servi illi prodigi, qui ante finem anni suum stipendum, seu simul seu per partes exigunt ab heris, et acceptum dissipant; postea exacto laboribus anno vident alios conservos, qui melius sapuerunt, sua accipere stipendia, ipsi vero cum dolore receperisse se jam ante mercedem audiunt, cum ea maxime egerent ad comparandas sibi vestes, aliaque necessaria. Horum similes mundi sectatores præripunt sibi in hoc mundo partem suam, quam in altero primum sæculo accipere deberent, dicuntque cur dissolutis illis, Sap. II. *Coronatus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra: nemo nostrum exorsit luxuria nostra, ubique relinquamus signa lætitiae, quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors nostra,* q. d. quia post mortem nullam aliam partem aut mercedem expectamus. Vident ergo

**I**sti sibi in altero sæculo nihil amplius sperandum, et verum quidem dicunt, sed quam id aliquando sentient! Unde c. V. postea exclamant: *Ergo erravimus, nos insensati, etc. sapuit e contra ille qui dixit: Portio mea in terra viventum,* Ps. CXL. Accipiunt hic munera solum, uti filii concubinarum ab Abraham, Gen. XXV. fundistabiles et plena hæreditas dantur Isaaco. Ubi S. Isidorus ait: *Dantur munera filii concubinarum, id est, carnalium, sed non pervenient ad regnum promissum, quia carnalia lucra sequuntur, solus Isaac est hæres.* Qui providi et prudentes sunt, parcunt superfluis sumptibus, dum juvenes et robusti sunt, detrahunt subinde sibi aliquid in victu et vestitu, quo peculium aliquod colligant pro futura senectute, ut habeant unde vivant, cum jam lucrari nihil possunt. Idque a teneris docentur filii a parentibus, suum ut thesaurosum sibi reponant. Qui hoc non faciunt, incident multoties cum senerint, in extremam calamitatem, ipsamque mendicitatem, non solum maximo suo dolore, sed etiam confusione. Idem expectare debent filii hujus sæculi, juxta id Prov. XI. *Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius est confusionis.*

III. Quidia pro hausto vini dulcis emunt sibi fel et dolores, quos inde contrahunt, incomparabiles. Compertum habent ebriosi, quam mercedem eis rependat vinum immoderate haustum, præsertim dulce et potans. Inde enim dolores capit, membrorum tremor, nausea ciborum, vomitus, etc. Sed nihil hæc ad eos dolores, qui consequuntur filios hujus sæculi, his transitorii bonis et mundi voluptatibus ebrios. Hi sunt vermis conscientiae et cruciatu inexplicabiles ipsius gehennæ, respectu quorum præcedens illa voluptas non est nisi gutta respectu maris, punctum respectu cœli. Prædicti illi hanc miserabilem sequelam imprimis S. Scriptura plurimis in locis, uti Prov. XXIII. *Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splendoruerit in vitro color ejus: ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet.* Utique illud Deut. XXXII. *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile,* et hoc est vinum illud deterius. Deinde ipsum etiam naturæ lumen, et propria conscientia. Testis imprimis Fridericus imper. de quo Aeneas Sylv. I. IV. com. c. XXXVII. ita scribit. « In terra Austria cum obiisset unus ex primoribus annos natus 93. qui vitam inter voluptates illecebrasque nulla unquam valetudine offensam duxisset, ignotaque illi omnis calamitatis, omnis mœstitia fuisse, idque Friderico Cesari narraret: Et hinc, inquit ille, immortales animas censere licet. Namque si Deus est, qui

hunc mundum gubernat, ut philosophi et theologi docent, eumque justum esse nemo negat, profecto alia loca sunt, ad quæ post mortem anime migrant, ibique pro factis aut mercedem aut poenam accipiunt. Nam neque hic bona sua præmia, neque malis sua supplicia reddi videamus. » Sensit hoc epulo ille, quando se in tormentis et flammis constitutum vidit propter immodicas illas delicias, quas habuit in vita: auditque ab Abraham meritas se poenam dare: *Quia recepisti bona in vita tua et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris,* quasi justitia exigit istam commutationem, ut qui hic secundum carnem bene habent, illuc ercentur: et qui hic male, illuc solatis perfundantur. Hoc nimur significabat illa manuum commutatio in patriarcha Jacob, quando dextram posuit super Ephraim, natu minorem, sinistram super Manassen majorem: commutatis decussatim manibus, Gen. XLVIII. cum tamen hunc ad dextram, illum vero ad sinistram patris collocasset, Joseph, optans ut major preferretur minori, id enim Dei mutu factum ad indicandam quod ii, qui hic cum Lazaro patiuntur et abjecti a mundo vivunt, ibi delectationes in dextera Dei reperient: alii, qui cum epulone recipiunt bona in vita sua, ad sinistram, judicis inter hædos et damnatos stabunt. Rem tali similitudine declarat Didacus Stella, in c. XVI. Lucæ: Dentes quamdiu sani sunt, delicate foventur, lavantur quotidie, purgantur a sordibus, teguntur labris, recreantur cibo et potu; at ubi putrescere aut vermem alere, adeoque cavari incipiunt, tum exosi sunt, appellantur dentes nequam, ex ore exturbantur et abjiciuntur. Contra pedes, dum vegeti sunt, pessime habentur, totam enim corporis molem sustinere, currere hac illac, sursum deorsum, per aquas et lutum, per aspera et lubrica pergere coguntur; at si casu aliquo deficiant, frangantur aut luxentur, vel podagra infestentur, tunc molli lecto et calore foventur, emplastris, medicamentis recreantur, omniq[ue] labore eximuntur, ita ut vix terram tangere permittantur. Sic ergo filii hujus sæculi cum epulone bene quidem habent et habentur, quamdiu hic in divitiis vivunt: at ubi mortis vermis eos apprehendit, excavat et putredine occupat, tum e mundo extrahuntur cum maximo suo dolore (juxta id Eccles. XLI. *Omors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* Viro quieto et adhuc valenti accipere cibum!) Et a Deo in altero sæculo abjiciuntur in gehennam. Vicissim servi Dei, qui hic velut pedes vexantur, onerantur, laboribus premuntur, et in cœnum abjiciuntur, cum in morte deficiunt, tum

solatiis recreantur, et ab angelis deportantur ad consortium beatorum cum beato illo Lazaro. Unde subdit ibi Ecclesiasticus : *O mors bonum est iudicium tuum homini indigenti, et qui minoratur viribus.*

IV. Quia pro brevissima delectatione emunt sempiternos cruciatus : pro brevi deliciarum merenda, cenam miseriarum interminabilem : pro una mellis gutta fauces transeunte, mare felle plenum inexhaustum. O cæcitate hominum ! Sanctus Cæsarius, diaconus et martyr Terracinae in Campaniæ civitate magnam comprehendit gentilium cæcitatem. Vidi enim in ea, egregia specie juvenem, nomine Lucianum, splendide ornatum, deliciis affluentem, et lasciviis vacantem, magno ab omnibus in honore habitum. Cæsarius ergo ex Africa eo delatus sciscitur. qui sibi vellet ille luxus adolescentis. Cui responsum, quod destinatus sit ad calendas Januarias in deorum hostiam pro expianda patria, quem in finem ad sex vel octo menses genio prius indulget, et quidquid desiderat, ad manum habeat, iis vero elapsis caphractus cum phalerato equo ex praefato monte præcipitem se in mare datus sit pro salute reipublicæ, ut in ejus actis, t. novembr. apud Surium et Baronium. Qui videtur vobis de hoc juvete ? Num aliquis vestrum est, qui ejus aleam subire vellet ? Neminem existimo adeo insanire. Et tamen interim hoc agunt, quotquot vitam suam deliciis mundi et voluptatibus addicunt. Cum enim sciant sibi imminere præcipuum in abyssum, eligunt nihilominus ad paucos vitæ hujus annos genio indulgere, deliciis, divitiis, honoribus circumfluere, sicque demum ad mare tormentorum inexhaustum et sempiternum desilire, unde nunquam emergant. Nam, ut S. Chrysostomus, homil. I. in Genesim ait : *Voluptas brevis et temporaria, dolor autem perpetuus et fine carens.* Quod bene insinuavit epuloni Abraham cum dixit : *Recepisti bona in vita tua, nunc autem cruciaris :* non ait : Cruciatu es, sicut ait : *Recepisti ;* sed : *Cruciaris,* quia voluptas transit, cruciatu autem manet sine fine. Unde Chrysostomus, concione prima de Lazaro : « Quot annis, inquit, vis illum (epulonem) hic pecunis fuisse fruitum ? Vis ponemus centum ? Ego vero etiam ducentos pono, pono trecentos, pono bis tantum et si vis mille, quod sane fieri non potuit, etc. Age igitur, cedo, si vis in annis centum vidisset per unam noctem suave somnium, multisque deliciis per somnium fructus esset, centum annis puniretur : num his de hoc dicere posset, unicam noctem, qua somniavit, centum annis æquparari ? Dictu absurdum. Nam quod est somnium unum ad annos centum, hoc est præsens vita

ad vitam futuram, imo potius multo minus. Quod est exigua gutta ad pelagus immensum, hoc sunt anni mille ad futuram illam frumentum. » Atque hoc est vinum illud, de quo Psalm. XXIV. dicitur : *Fæx ejus non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.*

V. Quia non inebrati (quod fit tantum in conviviis potatorum) sed sobri intelligentes post vinum dulce bibent acetosum et amarum ; cum sentient acerrime se a deliciis ad dolores, e divitiis ad mendicitatem, ex honoribus ad infamiam, e summa felicitate ad summam miseriam et calamitatem transmigrare; adeoque cum Luciano dicto, de summitate montis in abyssum præcipitari. Nemo enim nescit, graviori casu ad terram allidi eum, qui ex alto cadit, quam qui ex humili : et longe calamitosius esse de honoribus et sceptris detрудi ad stivam aut carcerem, de magnis opibus et deliciis ad mendicabulum et famem, quam in his miseris natum, enutritum semperque versatum esse. Hinc Dionysius junior a potentissimo Siciliæ regno ob ignaviam dejectus et Corinthi vitam privatam agens, imo plane ad stipem redactus; ita ut metragyrtam agens tympana pulsando, et tibiis modulando, ut scribit Ælianu, lib. IX. variar. hist. cap. II. alios etiam pueros docendo, vitam toleraret : si quis ipsi molestus esset, dicebat : *Quam beati sunt qui a pueri infelices fuerunt ?* Stob. serm. CVI. de insper. event. Non adeo sentiunt suas miserias, qui semper miseri fuerunt, uti sentiunt illi, qui aliquando felices erunt. Cum æstuaret Jonas, hedera subito exorta umbraculum ei fecit, quo facto letatus est lætitia magna, ait sacer textus, Jonæ III. at ubi die postero exaruit hedera, majori tristitia correptus est, quam prius, cum nullam haberet umbram ; adeo ut indignaretur et angustiaretur mortem sibi imprecans præ impatientia nimii aestus dicens : *Melius est mihi mors, quam vivere.* Ita nimirum post habitas delicias acrius sentitur et ægrius toleratur miseria. Sentient hoc suo tempore sectatores hujus mundi et deliciarum, ubi eis spoliabuntur, et redigentur ad extremas illas miserias, dicentque : O utinam nunquam felix, nunquam dives, nunquam princeps fuisse ! Sensere certe hoc viri, qui in magnis dignitatibus vitam aliquoquin bonam duxer, sibi metuentes, ne qui hie deliciis, etiam statim ipsorum concessis atque licitis perfruiri, vinum bonum præbiberunt, ibi cogerentur bibere detritius. Paulus III. pontifex animam agens dicebat : *Mallem me subjecisse coquo familiæ Capuccinorum, quam hanc Deo proximam, sed ad decem annorum curricula dignitatem sustinuisse,* apud Paul. Jovium in ejus vita. Cardinalis Alexandrinus Pii V. ne-

pos jam moriturus : *Quam, inquit, in hac hora optarem totam vitam in religione mea (fuerat enim Dominicanus, æque ac Pius V.) transegisse ; sane jam mallem me tota vita servisse loco monasterii mei, quam cardinalem egisse,* refert Cornelius, in cap. III. Apocalyp. Similiter Conradus cardinalis ex Cisterciensi familia assumptus, moriens aiebat ; *Utinam in villario meo (monasterio Cisterciensis ordinis) inter fratres semper scutellas abluissem !* Refert Christianus Henriquez, in fascie. Cisterc. ordin. p. I. Novi quendam, ait noster Octavianus de Tufo, in cap. VII. Ecclesiastici, qui e Dominicanorum familia tyro eductus, ingentem honoris cathedram condescendit, et morti proximus dixit : *Quam libentius morerer janitor religiosæ illius familiæ !* Quibus addo reges etiam, et imprimis Davidem, qui priori non assimile votum edidit, Ps. LXXXI. dicens : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei (Hebr. tamquam janitor ad portam sedere) magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Nostro demum sæculo Philippus tertius, rex Hispaniarum, moriens inter alia eruditio plena verba dixit : *Ne unam quidem fiem valet esse in mundo regem, nec imperatorem.* O utinam ego ne uno quidem die rex fuisse ! Et ad confessarium e societate nostra conversus : « Contestare meo nomine mortalibus, fuisse regem, atque imperatorem ad nihil aliud inservire, quam ad terrem, quam ad tormentum in hac hora ; quod fuerit. Felicius mihi contigisset totos 22. annos in ipsa Thebaide anachoretam transegisse. Sum quidem (heu me !) periculo æternæ mortis proximus. » Refert Bened. Fernandinus, in caput XXXV. Geneseos, sect. XII. Hæc ille ex magna animi demissione.

Videat igitur nunc unusquisque nostrum, quid in re tanti momenti eligat : vinum ad initium mensæ dulce, et post quod deterius est, an e contra amarum in præsenti, et dulce in altero sæculo.

#### CONCIO IV.

##### PIA INTER CONJUGES CONTENTIO.

Certare se conjuges de virtute debent. — I. Certent amore. — II. Certent honore. — III. Patientia et suppotatione mutua. — IV. Pietate et probitate.

##### THEMA.

*Quid mihi et tibi est mulier ? Joan. II.*

Ælianu Romanus historicus, lib. XII. c. XXXVIII. scribit : *Apud Sacas, si quis puellam uxorem ducere cupit, pugnam cum ea suscipit : et si illa*

superior sit, captivum abducit atque imperium in eum tenet : sin inferior regitur ab ipso. Certant autem non de vita, sed de victoria. Optarem, auditores, ut Christiani conjuges tali vel simili modo inter se certarent, de victoria, non de vita : de meritis et virtutibus, non de fragili imperio : denique de corona gloriæ celestis, non de gloria humana. Optarem ut certarent, quo modo in hodierno evangelio videntur certasse Christus Dominus ejusque sanctissima mater de amore videlicet. Vedit mater defunctum vini, ergo ne confunderentur novi conjuges, vinum illis petiit. Christus autem præter hoc vidit etiam in discipulis suis aliasque conviviis fidei defectum ; ergo ut suam gloriam et divinitatem illis manifestaret, differre adhuc miraculum voluit donec vini defectus pluribus pateret. Non fuit igitur Christi verbum, licet acrius ad speciem, nisi amica concertatio cum amantissima matre de tuendo honore proximorum, et promovenda gloria Dei. Tale cuperem esse certamen inter conjuges. Sed quibus de rebus potissimum ? Audiamus.

I. Certare inter se deberent amore, et magna vi contendere, ut alter alterum vincat. Ita membra unius corporis se invicem diligunt, et quasi dilectione certant. Si enim pedes ligati sint, conantur manus eos exsolvare : si manus ligatae, dentes vincula lacerare, vel pedes fuga salutem querere, vel pro manibus pugnare. Manus ictui se objicit pro capite vel latere. Jam autem conjuges sunt duo in carne una seu una caro, ideoque Deus Adamum et Evam non seorsim, uti alia animalium paria, sed Evam ex Adami latere, et quidem sinistro, qua parte cor est, fecit, ut vir uxorem velut costam et compar tem suam, vicissim uxor virum velut commen brum suum diligenter. Unde apost. ad Eph. ait : *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed fovet et nutrit eam, sicut Christum Ecclesiam,* qui ut paulo ante dixit : *Seipsum tradidit pro ea.* Hujusmodi amorem cernere erat in patriarcha Jacob, qui obviam pergens Esau, fratri non de se, sed de suis conjugibus tantum sollicitus erat. *Valde eum timeo,* inquit, *ne forte veniens percutiat matrem cum filio,* Gen. XXXII. Vicissim Michol pro Davide, viro suo, quando advertens eum queri ad necem, et custodiri domum suam, dimisit eum per fenestras, ut fugeret, ejusque loco statuam in lecto posuit, ad custodes eludendos ; adeoque se pro ipso regis iræ ac furori objecit, ut virum salvaret, I. Reg. XIX.

Pulcherrimum hoc certamen est, in quo victricem se ostendit Sanctia conjux comitis Castellæ, quæ incarcerato a Legionensium rege, marito,